



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Bona Volvntas Optimæ Consentiens. Seu De Sequendo In  
Omnibus Ductu Providentiæ Diviniæ**

**Fouillon, Jean E.**

**Leodii, 1657**

I. Providentiæ divinæ lampas.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54992](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-54992)

156 BONA VOLUNTAS

tatis cum divina conformitas. Eamdem ob causam non alio quam Patris dulcissimo nomine usus est, in horto Olivarum, quando ipsi fæculentus calix, amarissimusque, ac peccatorum omnium horrore, & pœnarum imminentium acerbitate plenus, propinabatur.

SECTIO SECUNDA.

Alterum Adjumentum,  
Consideratio providentiae humanae.

I.  
Prouiden-  
tia diuina  
lampas.

**Z**Achariæ Prophetæ objicitur cap. 4. videndum candelabrum, & lampas ejus super caput ipsius, & septem lucernæ ejus super illud: & septem infusoria lucernis, quæ erant super caput ejus: & duæ olivæ super illud, una à dextris lampadis, & una à sinistris ejus. Describitur candelabrum septiceps in templo Hierosolymitano ardere solitum, eâ ferè formâ, qua Exodi cap. 25. describitur in tabernaculo collocandum. Aptissima figura Providentiae divinæ, quæ aurea tota

tota est, & pervigil, oleumque, ac lumen  
lucernis aliis, suorum decretorum admi-  
nistris, communicat. Eo lumine collu-  
strantur præsertim olivæ duæ, operi pacis,  
ædificando Hierosolymitano templo,  
studentes, id est Zorobabel, & Jesus filius  
Josedechi: & quicumque eorum exem-  
pli aggrediuntur agenda, freti auxilio  
potentiae ac misericordiæ divinæ, non  
autem viribus suis. Hanc explicationem  
ab Angelo accipe ibidem: *Hoc est verbum  
Domini ad Zorobabel, dicens: non in exerci-  
tu, nec in robore, sed in spiritu meo, dicit  
Dominus exercituum. Quis tu mons magne,  
congeries impedimentorum redintegrandi  
templi, ab æmulis excitatorum, coram  
Zorobabel? In planum: mox Dei auxilio  
obices omnes subruentur, & aspera fient  
in vias planas.* Adverte animum præ-  
sertim ad illa verba: *non in exercitu,  
nec in robore, sed in spiritu meo, dicit Do-  
minus.*

II.  
*Qui eam  
non cer-  
nunt.* An ergo memet mihi fidere nolis,  
non divitiis, non dignitatibus,  
non amicis, non robori mem-  
brorum,